



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quomodo amittitur Gratia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

ere, propter promissam misericordiam, & rogat ut Deus uocationem eius gubernet, hoc modo exercenda est fides in omnibus operibus. **Quarta**, inuitant ad bene operandum & promissiones additæ operibus ac præmia. **H**abet enim bona opera piorum præmia corporalia et spiritualia, ut docet quartum præceptum, **H**onora patrem & matrem ut sis longæuus super terram. **D**ate & dabitur uobis etc. **E**st autem & in his promissionibus exercenda fides, cum damus eleemosynam, credamus **D**eum tamen conseruaturum esse facultates nostras, credamus & petamus augeri dona spiritualia, sicut **A**ugustinus inquit, **D**ilectio meretur augeri dilectione. **E**xemplum egregium propositum in historia **S**areptane mulieris, quæ iussa ab **H**elia, primum ipsi dat cibos quos solos habebat reliquos, et expectabat auxilium à **D**eo, ita **D**eus auxit illos cibos, postea ornauit eam & alijs donis. **I**ta & nos exerceamus fidem in inuocatione in omnibus periculis, negocijs, & actionibus, & obediamus **D**eo, petentes & expectantes ab ipso auxilium.

Quomodo amittitur Gratia?

I 4

Dictum

DICTUM est in sanctis manere peccata, sed tamen discrimen tenendum est. Quedam sunt eiusmodi, ut simul existere fides & gratia possint. Alia excutiunt fidem & gratiam. Hoc discrimen tradit Paulus, Roman. 8. Si secundum carnem uiuetis moriemini, si autem spiritu actiones carnis mortificabitur, uiuetis. Manet enim in sanctis naturalis infirmitas, concupiscentia, & multi uitiosi affectus. Sed quia his non obtemperant sancti, uerum repugnant & agnoscunt sibi condonari hanc infirmitatem propter Christum, hæc peccata dicuntur uenialia, hoc est, talia quæ sanctis condonantur, & propter quæ non amittunt fidem & spiritum sanctum. Est igitur peccatum ueniale uitiosus affectus, cui non obtemperant pii, sed repugnant, & credunt sibi eam infirmitatem propter Christum condonari. Sed quando non repugnant, uerum obtemperant uitiosis affectibus contra conscientiam, fiunt peccata mortalia, id est, propter quæ illi, qui fuerant iusti, amittunt fidem & spiritum sanctum, & propter quæ fiunt rei mortis æternæ, sicut Paulus inquit, Fornicatores, adulteri, homicidæ non possidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc discrimen, ne simus ignaui,

nec

Peccatum
ueniale qd

peccata dicuntur uenialia, hoc est, talia quæ sanctis condonantur, & propter quæ non amittunt fidem & spiritum sanctum. Est igitur peccatum ueniale uitiosus affectus, cui non obtemperant pii, sed repugnant, & credunt sibi eam infirmitatem propter Christum condonari. Sed quando non repugnant, uerum obtemperant uitiosis affectibus contra conscientiam, fiunt peccata mortalia, id est, propter quæ illi, qui fuerant iusti, amittunt fidem & spiritum sanctum, & propter quæ fiunt rei mortis æternæ, sicut Paulus inquit, Fornicatores, adulteri, homicidæ non possidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc discrimen, ne simus ignaui,

nec laxemus frenum cupiditatibus, ne amittamus dona **O**ci, sed meminerimus assidue tanquam in acie standum esse, ad cauendas insidias diaboli, & reprimendos uiciosos motus, ad excitandam inuocationem & fidem in tantis uitae periculis, quae & maiora & plura sunt, quam ut intelligi aut prospici à nobis possint. Ideo promissus est spiritus sanctus, ut nos adiuuet & gubernet. **G**ubernat autem non otiosos & ignauos, sed repugnantes peccato, sicut **P**aulus hortatur, ut curemus ne frustra acceperimus gratiam. **E**t si autem, ut ante dictum est, concupiscentia et uiciosi motus, quibus repugnant pii, fiunt uenialia peccata, tamen & horum magnitudo agnosci debet. **N**on enim sunt leues morbi, dubitatio de ira & misericordia **D**eï, securitas, diffidentia, non ardere dilectione **D**eï, non ardentem inuocare **D**eum, fremere aduersus **D**eum in afflictionibus. **H**æc uitia non intelligit ratio humana, ideo contemnit peccata uenialia, sed pii sciunt non esse extenuanda. **N**am concupiscentia cum suis fructibus est re ipsa mortale peccatum, in non renatis & longè maius malum est, quam ut eius magnitudo à ratione perspici possit. **I**deo pii hos morbos agnoscant, & uerè perhorrescant, cum cernent

quomodo repugnat natura hominis uoluntati
 Dei, sicut Paulus inquit, **I**nfoelix ego homo.
 Rursus autem erigant se fide, & sibi ignosci
 credant, & serio repugnent illis morbis. Hoc
 certamen est uera poenitentia piorum, in qua
 crescit nouitas spiritualis, & concipiuntur no
 ui & ardentiores motus spirituales, sicut in
 quit Paulus, **E**xterior noster homo corrumpi
 tur, sed interior renouatur. Et ad Colos. **I**ndu
 te nouum hominem, qui renouatur agnitione
 Dei ad imaginem eius, qui condidit eum. Et ad
 Corin: hios, **I**n eandem imaginem transforma
 mur, à gloria in gloriam.

DE SACRAM ENTIS.

Quid est sacramentum?

Propriè est ceremonia in **E**uangelio insti
 tuta, cui est addida promissio **E**uangelij.

Quot sunt?

Tria recte numerantur, **B**aptismus, **A**bsol
 lutio, **C**œna Domini. **B**aptismus est im
 mersio in aquam, quæ fit cum hac admi
 randa benedictione, **E**go baptiso te in nomine
 patris, & filij, et spiritus sancti. Et ad quid fiat
 baptis-